

Confessarius, si advertat, non praecessisse confessiones sacrilegas, non sit importunus in quaerendo, nec passim omnibus suadeat, ut consultant catalogos peccatorum, vulgo *Beichtspiegel*; unde saepius ex notitia peccatorum nunquam cognitorum augentur tentationes.

545. Q. II. An Landulphus recte egerit, confuse peccatis neandum confessis commiscendo jam confessa? R. Regulariter loquendo decens est, ait *Laymann* L. 5. t. 6. C. 3. n. 5. de ea re Confessarium admonere, ut is praesentem poenitentis statum cognoscere et conformem poenitentiam injungere possit; levior enim poenitentia injungi debet pro peccatis jam semel aut iterum expiat, quam pro nunquam confessis. Hinc etiam in confessione generali poenitens prius debet explicare, quaenam peccata commiserit ab ultima confessione. Ita *Reding* hic n. 29. *Sanch.* tamen L. 1. in Decal. C. 10. n. 71., *Lugo*, *Tamb.* et alii affirmant, id absolute necessarium non esse; eo quod peccatum sit idem, sive illud jam semel confessus fueris, sive non. Denique circa repetitionem peccatorum *Suar.* Disp. 18. de Poenit. sect. 4. n. 9. monet, duo extrema esse vitanda: 1. Ne quis putet, per se loquendo, necessarium esse, peccata semel rite confessa iterum confiteri, quando de valore prioris confessionis rationabiliter non dubitatur. 2. Cavendus est contemptus necessariae dispositionis ex eo, quod peccatum jam sit remissum; nova enim confessio iteratam requirit dispositionem. Ibid. n. 10. cum *Richardo* ait, repetitam peccatorum confessionem fieri posse, quotiescumque homo movetur novo motu devotionis, erubescitiae et doloris.

546. Q. III. An peccata dubia sint materia confessionis? Ante R. *adverte*, quod tripliciter possis dubitare circa peccata: 1. An peccatum commiseris. 2. An id, quod commisisti, mortale sit an veniale. 3. An peccatum grave commissum fueris confessus, vel non. Praeterea ex dictis P. I. n. 29. intellectus tunc proprie dicitur dubitare, quando proposita utraque parte nec praebet assensum nec dissensum alterutri, quia vel caret omni vel sufficienti motivo, quo ad ferendum judicium actualiter determinetur; hinc si intellectus non praebeat assensum vel dissensum ex alia causa, v. g. ob distractionem ad alia objecta, non dicitur dubitare. Dubium *negativum* definimus cum *Babenstuber* T. 8. P. 6. D. 2. a. 2. n. 18., quando suspensio judicii accidit ob defectum vel omnis motivi inclinantis ad assensum vel dissensum, v. g. quando quis proposita quaestione: an stellae sint numero pares? ex defectu omnis motivi nec affirmat, neque negat, stellas esse numero pares: vel quando suspensio judicii oritur non quidem ex defectu omnis motivi, sed ex defectu sufficientis ad determinandum intellectum, ut ferat de alterutro extremo judicium. Dubium vero *positivum est*, quod nascitur vel ex motivis utrinque probabilibus et sufficientibus ad ferendum prudens judicium de partibus contradictionis, vel saltem ex motivis pro una parte contradictionis affirmanda sufficientibus, licet non adsint sufficientia pro altera parte. Hoc genus dubii eatenus non est verum dubium, quatenus id, quod ex iis oritur, non est suspensio judicii, quae est de essentia dubii. His praesuppositis,

547. R. primo: Qui dubitat *positive*, an commiserit mortale, vel an plene consenserit, tutius quidem agit, si illud confiteatur: non tamen tenetur confiteri. *Ratio* est, quia cum talis pro utraque parte habeat graves rationes, potest sibi formare prudens judicium reflexum, quod non commiserit mortale, vel quod plene non consenserit; libertas enim est in possessione contra legem, quia ante illud dubium certo erat liber a lege confitendi, certae autem libertati superveniens dubium praevalere nequit. *Suarez* D. 22. S. 9. n. 6. Vide P. I. de conscient. probab. a n. 76. et de

conscient. dub. n. 53. Idem sentiunt de eo, qui positive dubitat, an peccatum certo commissum fuerit confessus; quia ob graves rationes potest deponi hoc dubium. Ita *Lugo*, *Dicast.*, *Gobat*, *Stoz* hic n. 156. Contrarium videtur in praxi suadendum, quia lex confitendi est in possessione, et legi certae non satisfit per solutionem incertam, ideoque rationes pro priore casu allatae non pugnant pro hoc posteriore dubio positivo. *Jansen.* C. 92. n. 22. Pariter

548. R. secundo: Qui scit se peccasse graviter, dubitat vero mere *negative*, an sit confessus, tenetur adhuc peccatum illud confiteri. *Ratio* est, quia tunc lex confitendi est in possessione, nec potest stante dubio negativo (scil: quando intellectus destituitur omni motivo ex utraque parte) prudenter judicari, illi satisfactum esse; nulla enim habetur ratio id judicandi; ergo. Ita *Coninck*, *Haun.*, *Lugo*, *Carden.* in 1. Crisi D. 47. n. 41.

549. R. tertio: Qui dubitat negative primo vel secundo modo, an peccatum commiserit, vel an commissum sit mortale, tenetur id confiteri, non quidem ut certum, sed tanquam dubium, juxta sententiam, usum et proxim antiquissimam, ut ait *Babenst.* l. c., *Suar.* l. c. n. 7. cum *Palud.*, *Richard.*, *Soto Nav.*, *Sylv.* et aliis Summisticis. *Ratio Suarezii* est: quia stante dubio negativo homo dubitat practice de obligatione confitendi; stante autem dubio practice tutor pars est eligenda, nimis quae magis removet periculum; atqui tutius est confiteri; ergo stante dubio negativo eligenda est confessio. *Major prob.* quia, qui mere negative ex defectu omnis motivi ex utraque parte dubitat, hoc ipso non habet prudens motivum ad depoñendum dubium pro alterutra parte; similiter qui habet quidem rationes utrinque probabiles, non tamen sufficietes, ut possit se determinare ad ferendum judicium pro altera parte, manet in dubio: ergo cum negative dubitans, an peccarit, non possit prudenter judicare, se non peccasse, tenetur confiteri.

Conf. 1. Lex confitendi omnia peccata est certa et in possessione: incertum autem est, an peccata dubia re ipsa non sint peccata; ergo lex confitendi manet in possessione. Praeterea *Suarezio* certum est, integratatem hujus judicij sacramentalis postulare cognitionem hujusmodi dubiae conscientiae.

Conf. 2. Confitens de peccatis dubiis debet dolere; alias exponit Sacramentum periculi nullitatis: ergo etiam ea debet confiteri. Plura vide apud *Bardi* Discept. 6. de conscient. dub. C. 11. P. 4. §. 1. *Joannes Praepositus* contrarium opinionem ait esse speculative probabilem; concludit tamen, a nostra sententia, quae est communis, non esse recedendum. Objectiones *Caramuelis* solutas vide apud *Bardi* l. c. et *Babenst.* l. c. a n. 31.

550. De peccatis dubiis porro resolves. I. Bene distinguendi sunt scrupuli a prudenti dubio, ideo Confessarius regulas pro scrupulosis P. I. T. 1. C. 4. traditas in promptu habeat in confessionibus scrupulosorum.

551. II. Peccata dubia regulariter non sunt materia sufficiens absolutionis: hinc si quis confiteatur sola peccata dubia, monendum est, ut addat aliquod certum saltem veniale etiam ex praeteritis confessionibus, si nullum occurrat commissum ab ultima: quia non decet absque rationabili causa etiam conditionatam tantum absolutionem exponere periculo frustrationis, quod fieret, si peccata illa dubia revera non sint peccata: hinc *Laym.* l. c. cum *Suar.* tradit sequentem regulam: *Si Confessarius nullam certam, sed solum dubiam absolutionis materiam ex poenitente elicere possit, interdum sub conditione tacita absolvere eum poterit, si peccati gravitas, personae periculum, aliaeve circumstantiae id postulare videantur;*

interdum vero absolutione supersedere, si nulla necessitas appareat, Sacramentum sub conditione ministrandi.

552. III. Qui confessus est peccatum certum ut certum, de quo tamen dubitabat, an sit mortale vel veniale, non tenetur id rursus confiteri, licet postea comperiat fuisse mortale, quia talis integre confessus est suum peccatum, et supponitur, nullam circumstantiam necessariam fuisse omis-
sam. *Sanch. L. 1. Decal. C. 10. n. 69.* Addit *Babenst. l. c. n. 47.* quod ad valorem Sacramenti necessarium non sit ex institutione Christi, ut poenitens aut Confessarius certo cognoscat peccatum, an sit mortale vel veniale, cum id in omni casu scire sit impossibile; Confessarius tamen tenetur nosse, an hoc vel illud peccatum sit ex genere suo grave vel leve. Denique res plena periculi, maximeque inconveniens est, studio quaerere Confes-
sarium indoctum et nescientem discernere inter lepram et lepram. Porro

553. IV. Juxta communissimam sententiam, qui confessus est peccatum mortale ut dubium, si postea deprehendat, esse certum peccatum, tenetur illud iterum confiteri. *Ratio* est, tum quia peccatum jam ut certum est in conscientia, tum quia postquam peccatum certo cognoscitur esse commis-
sum, lex confitendi est certa: an autem satisficeris obligationi, dum illud confessus es ut dubium, est plane dubium: ergo lex certa confitendi est in possessione. *Dicast. D. 9. dub. 2. n. 141. Jansen., Babenst. contra Arriag., Bosco, Sporer* hic n. 397. et alios.

554. V. Peccata dubia in confessione explicanda sunt ut dubia, non ut certa, juxta num. 518., quia peccata eo modo explicanda sunt, quo sunt in conscientia; imo poenitens si confiteretur dubia ut certa, mentiretur in re gravi. Ita *Sanch. l. c. n. 68.* ubi tamen eos a peccato gravi excusat, qui bona fide et quadam simplicitate ducti existimant, esse consultius in confessione plus, quam minus dicere.

CASUS IV. De Integritate materiali confessionis.

*Leander vitae spurcissimae diu deditus tandem statuit emendare vi-
tam: accedit proinde ad Confessarium, et confitetur: Ego peccata luxuriae
commisi, et ut possem frui libidine, multa furtu commisi. Interrogatus de
numero et specie peccatorum reponit: Nec numerum, nec speciem propter
diuturnam consuetudinem possum exprimere: quantitas furti non exceedit
centum florenos.*

555. Q. I. An et quomodo debeat exprimi numerus peccatorum? R. Si sciatur certus numerus, debet exprimi determinate; si certus non sciatur, exprimi debet verisimilis, qui ad veritatem a conscientia dictatam pro-
pius accedat, v. g. commisi hoc decies circiter, vel plus minus; sub his enim verbis aliae aliquot vices continentur vel excedentes, vel minuentes numerum. *Primum* probatur ex *Trid. sess. 14. can. 7.* ubi requiritur, ut omnia et singula peccata, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, exponantur; atqui si sciretur, et non exprimeretur certus numerus, non exponerentur omnia et singula peccata: ergo. *Secundum* patet ex eodem *C. 5. ubi Trid. ita docet: Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum ac Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata (tum quoad speciem, tum quoad numerum), quae diligenter cogitanti non occurunt, in universum eadem confes-
sione inclusa esse intelliguntur.*

556. Q. II. Quid sit agendum cum Leandro, qui propter diuturnam consuetudinem nec numerum, nec speciem peccatorum exprimere satis

potest? R. Recogit et exponat, quot annis immersus fuerit vitio, an pa-
ratus fuerit ad quaevi luxuria vitia committenda cum variis hominibus:
quoties circiter per mensem, septimanam aut diem solitus sit peccare co-
gitatione, verbo vel opere; recogit, quoties circiter per septimanam aut
mensem enormius peccarit, v. g. contra naturam, cum persona sacra,
consanguinea, conjugata etc. Hac ratione Confessarius saltem prudens
judicium poterit formare de statu poenitentis, cui moraliter impossibile
est, melius exponere numerum ac speciem. Vide *P. I. de sexto praecepto*
Decal. Sic etiam satisficit, qui diu odio habuit proximum, dicendo: In-
tegro anno perstitti in odio, et quoties memoria inimici occurrebat, actus
odii exercui, vindictam spirans, impetrans etc. id quod singulis diebus
factum est. *Laym. L. 1. t. 3. C. 3. n. 3.*

557. Q. III. An, si quis numerum verisimilem per particulam *circiter* expresserit, postea vero reminiscatur, quod saepius peccarit, teneatur ad-
huc confiteri illum excessum? R. Si excessus ille sit modicus vel in se, vel
respective ad numerum, quem expressit, non tenetur, quia sufficienter per
particulam *circiter* fuit expressus, secus si notabiliter excedat. Juxta re-
glas autem prudentiae communiter quo major est numerus expressus, eo
major etiam est excessus, qui in eo censetur contineri: sic in quatuor pru-
denter censetur contineri unum, in 9. aut 10. duo, in 30. tria aut quatuor,
in 100. sex vel octo. Vide *Lugo, Navar., Diana P. 3. t. 4. Resol. 194.*
Porro *tō aliquoties* non se extendit nisi ad 2. vel 3. *tō saepius* nonnisi ad
4. 5. vel ad summum 6. vices.

558. *Quid*, si quis expressisset numerum certum sine *circiter*, v. g.
Blasphemavi ter, postea vero certo recordaretur, quod quater blasphemaverit? R. Tenetur adhuc exprimere illam vicem, quia nullo eam signo aut
verbo manifestavit. *Herzig de munere Confessarii C. 3. n. 44.* Qui bona
fide dixit, se circiter decies quid fecisse, sed postea comperit, id vigesies
a se factum fuisse, satisficit, si in proxima confessione, omissis prioribus de-
cem vicibus jam confessis, dicat se decies id fecisse. *Ratio* est: quia per
binas illas confessiones totum numerum peccatorum exprimit. Plura de
numero peccatorum vide in *P. I. n. 289. et seq. item n. 313. et seq.*

559. Q. IV. An et quale examen conscientiae praerequiratur ad integri-
tatem confessionis? R. Requiritur *diligens* examen, vel ut ait *Trid. sess.*
14. C. 5. de Poenit. diligens sui discussio: hoc ipso enim, quod integritas ex
praecepto divino requiratur, etiam praecipit medium ad eam necessa-
rium, scil. diligens discussio peccatorum. Quanta autem diligentia requiri-
tur, unica regula vix potest definiri. Communiter requirunt AA. medio-
crem sive ordinariam, qualis unusquisque pro status sui conditione, et ju-
dicii capacitate in re seria solet adhibere. Hinc breviore examine indigent,
qui frequenter, quam qui raro confitentur; rudes quoque ac imperiti non
possunt tam exacte conscientiam discutere, sicut docti et probe instructi;
ideoque Confessarius illos juvare debet, ut ait *Laym. L. 5. t. 6. c. 8. n. 1.*
ubi addit, quod negligentia crassa, non vero levis tantum impedit valo-
rem hujus Sacramenti.

560. An, qui debilis est memoriae, teneatur scripto adnotare peccata
sua? R. Juxta *Spörer, Fill., Bonac., Babenst. T. 8. P. 6. D. 5. n. 8.* contra
Vasq. non tenetur, tum quia haec est diligentia extraordinaria, tum quia
plerique, qui scribere nesciunt, absque hoc medio satisfaciunt integrati,
tum quia per confessionem in scripto prudenter timeri potest, ne quo casu
publicetur. Ex eadem ratione *Laym. et Palao* affirmant, nequidem mutum
teneri confiteri scripto; eo quod hic modus confitendi secundum se sit
publicus. *Suarez* vero, *Gormaz* et alii asserunt, eum qui subito destitutus

usu linguae, et aliter non potest integre confiteri, nisi ex scripto, et prudenter non timet manifestationem confessionis, teneri ad confitendum in scripto: qui enim tenetur ad finem, etiam obligatur ad media licita et secundum se facilia; ergo cum scriptura in his circumstantiis ponatur esse medium unicum, et cum absit morale periculum manifestationis, nec hoc medium sit magis publicum, quam nutus et voces, ad eam datur obligatio. Haec sententia tutior quidem est; illa tamen non caret sua probabilitate, praesertim quia, si quis scribere possit, facile etiam nutu poterit peccatum exprimere; ergo scriptura non est unicum medium.

561. Juxta *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1196. ex communi sententia sufficit, si quis per litteras peccata mittit Sacerdoti, et postea coram Sacerdote, qui ea legit, praesens dicat: *Accuso me de illis peccatis, quae a me scripta legit Reverentia vestra, et peto absolvi.* Id tamen sine rationabili causa fieri non debet, quia est contra communem et ordinariam proxim Ecclesiae. Ib. n. 1199. affirmat *La Croix* cum communi, si Confessarius viderit, vel aliunde extra confessionem cognoverit peccatum tuum, satis esse si dicas: *Accuso me de illo peccato, quod nosti.*

Q. V. Quaenam circumstantiae peccati necessario sint exprimendae in confessione?

562. Ante R. adverte. *Circumstantiae* aliae sunt *speciem mutantes*, quae ratione sui addunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea, quam actus de se habet; sic ablato rei e loco sacro furto addit speciem sacrilegii. Aliae sunt tantum *aggravantes* vel *notabiliter*, quae malitiam peccati intra eamdem speciem extraordinarie augent, faciuntque, ut idem peccatum sit multo gravius: talis est in furto circumstantia quantitatis notabiliter excedentis illam, quae constituit ordinarie furtum mortale, v. g. ablato mille aureorum: item magis augment malitiam, major peccantis vehementia, intentio et duratio actus etc.; vel *non notabiliter aggravantes*, quae notabiliter non augment actum de se graviter peccaminosum. De circumstantiis speciem mutantibus locuti sumus P. I. n. 312. Jam

563. R. 1. Circumstantiae *impertinentes* non sunt explicandae in confessione; hae enim speciem peccati nec augment, nec minuant, et ideo dicuntur *impertinentes*.

564. R. 2. Circumstantiae *generales*, v. g. ingratitudo erga Deum, inobedientia etc. non sunt specialiter exprimendae *per se* loquendo: hoc ipso enim, quod sint generales et inhibitae in quovis peccato mortali, *per se* intelliguntur: ergo supervacaneum est eas addere, dicendo v. g. Sacrum omisi, ideoque ingratus fui Deo, inobediens Ecclesiae. Dixi *per se*, si enim eae circumstantiae formaliter et reflexe intendantur, v. g. si quis ideo graviter vellet peccare, quia positive vult contemnere Dei auctoritatem in praecipiendo, deberet hanc circumstantiam, quae addit novam malitiam specificem diversam, exprimere. *Suar.* D. 22. §. 4. n. 15.

565. R. 3. Circumstantiae, quae peccati speciem tantum augment, vel minuant venialiter, licite quidem et recte exponuntur, necessario tamen exprimendae non sunt; eadem enim est ratio harum circumstantiarum, quae peccatorum venialium. Circumstantia autem, ratione cuius peccatum ex genere suo veniale evadit mortale, aperienda est, v. g. mendacium quod cedit in grave detrimentum proximi, ita *Comm.* Item circumstantiae, quae peccatum ita minuant, ut quod iis seclusis fuisset mortale, ratione earumdem fiat vel nullum, vel veniale tantum peccatum, exprimendae sunt in confessione, v. g. si quis in extrema necessitate abstulerit proximo sibi necessaria in notabili quantitate, debet extremam necessitatem simul ape-

rire, quia alias se accusat de furto gravi, quod tamen non commisit. Vide *Bonac.*, *Stoz* L. 1. P. 1. q. 1. n. 82. et alios.

566. R. 4. Recte quidem exponuntur in confessione circumstantiae notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, nulla tamen est obligatio *per se* loquendo, eas in confessione exprimendi. Ita *Babenst.* T. 8. P. 6. D. 5. n. 20. cum *S. Thoma* in 4. D. 16. q. 3. a. 2. quaestiunc. 5. ubi ita habet: *Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitenda nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est.* Idem defendunt *D. Bonav.*, *S. Antonin.*, *Nav.*, *Less.*, *Stoz* l. c. n. 84. *Gobat* in *Alphab. confit.* n. 375, *Tambur.*, *Antonius Zerola*, *Sayrus*, *Regin*. et plures alii apud *Ilsung*. T. 6. D. 6. n. 77. *Jansen*. hanc sententiam vocat vere probabilem, et in praxi tutam, ita ut eam sequens non exponat Sacramentum periculo nullitatis, sicut non exponit, qui ex obliuione vel ignorantia inculpabili peccati speciem omittit; certum enim est, tunc sufficere confessionem formaliter integrum, etsi non sit integra materialiter.

Rationes, cur haec sententia non tantum ut probabilis quomodocunque, sed ut moraliter certa admittatur, in *Theologia Schol.* sunt sequentes: 1. A judicio gravissimorum DD. 2. Quia nulla obligatio est imponenda fidelibus tanquam necessaria, nisi de ea constet vel ex *Scriptura*, vel ex natura Sacramenti, vel ex doctrina Ecclesiae; atqui ex nullo horum capite constat, quod circumstantiae intra eamdem speciem mere aggravantes necessario sint explicandae in confessione: ergo. *Prob. min.* *Conc. Trident.* sess. 14. c. 5. et can. 7. *jus divinum circa materiam confessionis declarans*, et expresse de circumstantiis peccatorum loquens nihil aliud statuit, *quam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant;* ergo *Trid.* non agnovit ex *Scriptura*, nec ex natura hujus Sacramenti, nec ex doctrina Ecclesiae eam obligationem, alias eam non dissimulasset, cum procedat doctrinaliter. *Confirm.* 1. Juxta R. J. ex can. 4. dist. 25. inclusio unius est exclusio alterius; vel ut alii declarant, in dogmaticis, quando affirmatur unum esse necessarium, et aliud tacetur, de quo similiter dubitatur, hoc negatur; atqui *Trident.* l. c. affirmat, necessarium esse ad integratem confessionis, ut fideles explicit circumstantias speciem mutantes, et tacet necessarium esse, ut explicit mere aggravantes, de quo tamen similiter dubitabatur; ergo negat id esse necessarium. *Confirm.* 2. Ex dictis de hac lege non satis constat; in dubio autem, an existat lex, ea non obligat, quia libertas manet in possessione; neque haec lex esset satis promulgata, cum eam plurimi et gravissimi DD. negent; ergo.

567. Contrariam sententiam cum gravibus AA. defendit *La Croix* l. 6. P. 2. n. 977. et *Henriquez* l. 5. c. 7. §. 6. quorum ratio est, quod omnia illa necessario exponenda sint in confessione, quae notabiliter variare possunt judicium Confessarii; sed circumstantiae notabiliter aggravantes possunt notabiliter variare judicium Confessarii: ergo. *Patroni* primae sententiae recte respondent *Dist. M.* Quae notabiliter possunt variare judicium circa speciem et numerum peccatorum C. M. Circa circumstantias non variantes speciem, nec augmentes numerum N. M. Reliquas object. vide in *Theol. Schol.*

568. Denique alii cum *Esparza* et *Laym.* L. 1. T. 2. C. 10. medium viam tenent, dicentes, necessario exponendas esse circumstantias aggravantes, quae se tenent *ex parte objecti*, non autem quae se tenent *ex parte actus*. Sic ex horum judicio non satis est confiteri: Commisi furtum grave sed definite dicendum, quantum abstuleris, v. g. Furatus sum centum aut mille aureos. Item in peccato incestus, ajunt, exprimendum esse, an persona sit in primo, secundo, aut tertio gradu consanguinea. Verum cum nulla solida disparitas sit, cur circumstantias se tenentes *ex parte objecti*,

non vero ex parte actus teneamur confiteri, manet in vigore prima sententia. Plura vide apud P. Holzmann Partis 5. Tom. 2. a n. 471.

569. Dixi supra n. 566. *per se loquendo* non esse obligationem, circumstantias aggravantes exprimendi, scil. quae oriatur immediate et directe ex ipso praecepto confessionis. Per *accidens* enim, et aliunde potest esse obligatio: ac 1. quidem si peccatum propter circumstantiam aggravantem sit reservatum, ne Confessarius forte non habens facultatem absolvendi a reservatis, limites potestatis sua excedat. Sic in Archi-Dioecesi Coloniensi gradus consanguinitatis, vel affinitatis in incestu exprimentur est, quia incestus cum consanguineis, vel affinibus in primo vel secundo gradu est peccatum reservatum. 2. Si duratio peccati tanta fuerit, ut prudenter credi possit, illud saepius moraliter fuisse interruptum, ideoque numerice multiplicatum; ut contingere solet in diurno odio, longa dilatione restitutionis etc. 3. Si poenitens de tali circumstantia interrogetur a Confessario, cui prudenter visum fuerit, id interrogare necessarium esse vel ad debitam dispositionem a poenitente eliciendam, vel ad salubre medium procurandum, vel ad obligationem restitutionis recte imponendam. *Ratio* est, quia tunc Confessario tamquam Judici, Doctori, et Medico competit jus interrogandi: ergo etiam poenitenti incumbit obligatio ad interrogata respondendi; unde damnavit Innoe. XI. propositionem in ordine 58: *Non tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio damnationis, quia Confessarius ad hoc ut rite absolvat, debet habere saltem probabile et prudens judicium de recta poenitentis dispositione, ideoque habet jus inquirendi, an poenitens laboret impedimento veri propositi, quale praeter caetera est consuetudo peccandi. Deinde consuetudinario longe alia media praescribenda sunt: ergo. *Duarte V.* consuetudo n. 146.

570. At nomine poenitens *per se* tenetur aperire in confessione consuetudinem peccandi? R. *Per se* non tenetur; quia peccata praeterita non sunt circumstantia nova peccati hodierni speciem mutans. *Suar.* hic D. 22. sect. 4. n. 15. cum *Cano contra Sylvest.* Per accidens autem tenetur, si interrogetur a Confessario, ut patet ex n. praec. Vide *Lugo de Poenit.* D. 16. n. 201.

571. Q. VI. An poenitens in habita morosa delectatione venerea debeat exprimere objectum delectationis? R. Probabiliter non tenetur exprimere, nisi accedat desiderium opere peccandi, vel nisi expresse quis delectetur de persona non tantum ut objecto generice apto ad luxuriam, sed ut est conjugata, consanguinea etc. *Ratio* est, quia voluntas per simplicem complacentiam, sive morosam delectationem plerumque non tendit in objectum ut est a parte rei, sed ut proponitur ab intellectu; ergo si proponatur praescindendo a persona, in quam tendit delectatio, statu v. g. conjugali, vel libero, aut a circumstantia consanguinitatis etc., non contrahit diversam malitiam ex diversitate istorum statuum: atqui plerumque sic proponitur in simplici complacentia tantum sub ratione generica objecti venerei, praescindendo a statu personae: ergo. Ita *Stoz L. 1. p. 3. n. 166.* et seq. cum *Arriaga, Tambur.* et aliis. Contrarium defendant *Salmantenses*, T. 13. de peccat. D. 11. Dub. 3. n. 54. Dixi, *nisi accedat desiderium* etc., quia tunc intellectus proponit objectum non sub ratione generica objecti venerei, sed ut est affectum circumstantiis hujus vel illius status, aut conditionis.

572. Q. VII. An voto obstrictus debeat praeter delectationem morosam exprimere in confessione circumstantiam propriae personae? R. Voto obstrictus juxta communiorum id debet exprimere: de conjugato id pariter affirmant *Vasquez, Bonac.* *Stoz l. c. n. 167.*, idque probant ex communi

sensu fidelium, et praxi. *Hurtadus* vero, *Sporer* et alii de conjugatis id negant, eo quod conjuges se non obligant ad abstinendum a delectationibus etiam internis circa alienas personas: prior sententia in praxi tenenda videtur.

CASUS V. De Integritate formali confessionis.

Lysippus Sacerdos vocatur ad aegrotum, quem usu linguae, et omni sensu destitutum reperit, ideoque anxius haeret, an et quomodo moribundum debeat absolvere. Idem dum in festis solemnibus magnus est concursus confitentium, auditio uno altero peccato, poenitentes absolvit; saepe etiam urget poenitentes, ut praeter peccata etiam complices manifestent.

573. Q. I. An ad integritatem confessionis sufficiat signum doloris, si moribundus loqui nequeat? R. *Affirmative*; ut infra de munere Confessarii dicetur, et in sequenti quaest.

574. Q. II. Quaenam impotentia excusat ab integritate materiali? R. *Primo:* Excusat *impotentia physica* omnia peccata exponendi, quia praeceptum divinum utpote prudentissimum non obligat ad impossibile. Talis impotentia n. 524. assignata est in ignorantie peccatum, vel non recordante invincibiliter, in muto, moribundo destituto loqua, vel ignaro idiomaticis, quo utitur Confessarius; huc reducitur casus, quando ipse Confessarius viribus ita destituitur, ut ulterius confessionem excipere non possit, sed statim debeat absolvere dimidiata tantum confessione facta. Porro quamvis ignorans idioma Confessarii possit per interpretem confiteri, si velit; ad hoc tamen absolute non tenetur, tum quia haec confessio jam aliquo modo est publica, qualis tamen praecepta non est, tum quia ita confiteri difficile et periculoso est. *Excipit Tannerus:* nisi interpreti per se jam nota essent poenitentis peccata. *Quid igitur faciendum Confessario,* si nec linguam poenitentis graviter infirmi intelligat, nec ille per interpretem velit confiteri? R. *Habito doloris signo illum absolvat.* Vide P. Gobat T. 6. a n. 500. Facilis tamen habetur modus confitendi per interpretem: scil. Confessarius et poenitens sint in uno cubiculo, in proximo cubiculo sit interpres (vel si unicum tantum habeatur cubiculum, interpres faciem a poenitente penitus avertat, ita ut nullo modo illum videre queat): Confessarius vel ex indice peccatorum vel sine illo proponat peccata contra praecepta decalogi, Ecclesiae etc. Interpres singula proposita mox poenitenti in suo idiomate recitet, poenitens si commiserit hoc, quod proponitur peccatum, Confessario nutu id significet, simulque numerum ex digitis demonstret. Hoc modo solus Confessarius satis percipiet speciem et numerum peccatorum, quin interpres possit peccata poenitentis cognoscere.

575. *Secundo:* Etiam excusat *impotentia moralis*, quae tunc adesse censemur, quando ex confessionis integritate, vel poenitenti, vel Confessario, vel tertio grave damnum eveniret. *Ratio* est, quia praecepta positiva non obligant ordinarie cum gravi damno: atqui praeceptum confessionis materialiter integrae est positivum: ergo. Sic Confessarius tempore pestis vel morbi contagiosi, quando excipiendo totam confessionem incureret periculum vitae, potest perceptis aliquibus peccatis confitentem absolvere. *Coninck* D. 7. Dub. 9. n. 75. *Babenst.* l. c. n. 42. Item instante praelio, aut naufragio, dum omnium confessiones non possunt excipi, Confessarius praesens potest omnes simul, dicto uno peccato, quod minus inflamat (vel si aliter fieri nequeat, dicentes in genere, se esse peccatores) absolvere, dicendo: *Ego vos absolvō etc.* *Busemb.* l. 6. t. 4. c. 1. de Sacram. cum *Sa* et *Coninck*.

576. Q. III. An liceat Confessario in magno concursu poenitentium